De Grammaticorum graecorum quibusdam praeceptis euphonicis

Dissertatio I.

qua

orationes in

matronae nobilissimae

D. a Kreytzen

e gente Kospothorum

et

viri clarissimi

Joh. Dieterici a Tettau

memoriam

diebus

XXII. et XXIV. Junii H. XI.

in auditorio maximo habendas

indicit

Chr. Augustus Lobeck,

Antiq. Lit. P. P. O. et Aq. R. Eques.

Regiomonti Borussorum.

Typis Academicis Hartungianis.

MDCCCXXXIII.

16

1833

§. 1. Quanquam Critici in explorandis controversis lectionibus saepe numero aurium judicio niti solent, tamen quam lubricum sit hodie de Graecorum sensu existimare, ex hoc intelligi potest quod quae Grammatici et Rhetorici ut cacosyntheta et inconcinne juncta notant, hodie a legentibus ne animadverti quidem solent, quae vero nobis aspera pronuntiatu audituque videntur, eorum frequens apud veteres reperitur usus. Primum occurrit labdacismus, cujus vitandi causa *λελιλημένος* in *λελιημένος* mutatum esse tradunt; de quo alibi diximus; tum Buttmannus *πύελος* et *ἔκπαγλος* pro *πλύελος* et *ἔκπλαγλος* substituta esse statuit, quorum illud veteres parum apte a *πυός* repetunt, hoc rectius ex *ἔκπλαγος* (ut *ἄθλιβος, ἄτερπος*) trajectis literis extitisse docent; *ἐκπλαγότητα* Hesychius interpretatur *ἐξαισιότητα*, pro *ἐκπαγλεόμενοι*, quoties legitur (legitur autem ter) apud Herodotum, toties codices *ἐκπλαγεόμενοι* exhibent. Metacismi nomine, si nostras quidem aures consulimus, culpari possunt *μεμίμημαι* et *μεμίαμμαι*, quorum altero quominus uterentur Graeci effugere nullo modo potuerunt, alterum et facilem declinationem et offensionis minus habet, sed neutrum a Technicis reprehensum est. Rhotacismi in hoc genere nullum suppetit exemplum nisi forte Pollux V. 138. *εὐπρόσρητος* ob hanc causam *σκληρότερον* esse judicat et *δυσπρόσρητος* improbat ut *τραχύ*. sed quum idem *μεταδίωξις* V. 165. *ἐκλάλησις* §. 147. *ἀηθεῖν* et *ἄηθες* (nisi pro hoc *ἀηθέσσειν* scribendum) §. 145. *εὐπροσόδως* et *εὐεντεύκτως* §. 139.

ἐκλελεγμένος VI. 208. *ὁμοερκές* ib. 156. *σύνδεσις* VIII. 152. et alia *dura* (*σκληρά*) sibi videri pronunciet, *ἀγχώμαλος* autem V. 157. et *ποτνίασις* VI. 602. aspera (*τραχέα*) sumendum est his nominibus non unum vitiorum genus notari sed plura atque ea fere, quae nostras aures sine ulla offensione praeterlabuntur. Sed quod Thomas dicit p. 135. ed. Ritschel. *ἔῤῥανται οὐ ῥεῤῥάνναι* [1] *διὰ τὸ εὐφωνότερον*, ad augmenti usum atticum spectat et quod alio loco praecipit p. 159. *ἑταιρότερος οὐχ εὕρηται, ἐμοὶ δοκεῖν διὰ τὸ οὐκ εὔφωνον, ἑταιρότατος δέ*, id si vel maxime veritate fundatum esset, tamen non eam vim haberet ut Graecos a vocabulis ejusmodi abhorruisse crederemus. De sigmatismi fuga Vossius ad H. in Cer. 135. scite et subtiliter disserit, Homerum et unumquemque ei simillimum tam studiose evitasse sibilos, ut neque *φρεσὶ σῇσι*, neque *ἄλσεσι*, neque *σεσοφισμένος* neque quidquam his par et simile admitterent; quae scribenti forte non occurrebant homerica *κρείσσοσι* Il. XXI. 486. et *κελσάσῃσι* Od. IX. 149. Illud ipsum *σεσοφισμένος* legitur apud Phocylidem Nuth. 122. Plutarch. V. Lucull. c. XLI. 341. Galen de Hipp. et Plat. decr. II. 5. p. 245. T. V. (p. 99. Chart.) Diog. Laert. V. 90. et hoc non multo lenius *νενοσφισμένος* Plut. V. Pomp. c. IV. neque illius aeolicae, ut Tzetza vocat, ecthlipsis vestigium ullum superest. Ac si quod ejus fuit apud delicatiores aures desiderium, certe necessitas evicit ut *ἄρσεσι* Aesch. Prom. 948. *ἥσσοσι* Suppl. 484. *ἄστεσι* Plat. Legg. II. 666. E. *πέρσαις καὶ περσίσι* Xenoph. Cyr. VIII. 5. 11. *ὀσμήσεσι καὶ ψαύσεσι* Aretae. Cur. Acut. I. 1. 189. *ὑποσχέσεσι* Dem. 346, 23. Dionys. Antiqq. V. 50. *ἐμφυσήσεσι* Galen de Usu Puls. c. VII. 173. T. V. (441.) *ἐκμασήσεσι* id Eupor. II. 10. 373. T. XIV. et similia reciperentur. Literae delta in duabus continuis syllabis concursus quantopere Technicis displicuerit, alibi expositum est; sed quae nostro judicio haud pau-

1) *Καταῤῥεῤῥασμένα* Galen. Comp. Med. sec. Locc. II. 504. et 521. T. XII. K.

lo duriora sunt *πτίττειν* Lucian. Hermot. §. 79. *πτώττειν* Aelian. II. An. VII. 19. *διαπτυττόμενα* Plato Legg. IX. 858. E. de iis nihil nominatim cautum reperio; neque tamen praetermitti debet, Aeliano pro *πτώττειν* e codd. restitutum esse *πτώσσειν*, in Platonis autem et Luciani loco libros mire variare, atque hos ipsos scriptores qui *πράττω* et *τάττω* dixerunt, tamen *πτίσσω* et *πτύσσω* praetulisse; postremo sicut apud Platonem Edd. vetustissimae *διαπυττόμενα* exhibent, ita *πτυκτίον* et *πτυκτίς* emollita esse demta littera *τ*, tum ad cedendum tum ad succedendum promtissima. Anecd. p. 445. *ἄρκτον οὐχὶ ἄρκον, τὸν μέντοι ἄνεμον ἄνευ τοῦ τ, διὰ τὸ εὔφωνον, καὶ τὴν πνοὴν ἄρκιον* scrib. *ἄρκειον* (2) cujus discriminis rationem qui intelligat, admodum acute audire oportet. Sed neque certum est nomen ferae et sideris borealis unum idemque esse, neque verum, ursam ab omnibus *ἄρκτον*, ventum *ἀπαρκίαν* dici, ratio autem cur litera dentalis utrique nomini modo addita modo detracta sit, non magis reddi potest quam in similibus *πτύσσω, πύξ, πυγμὴ, πτύελος, πύελος, πτέρνα, πέρνη* (Hes.) *perna, πτύω, πυτίζω, spuo, pitysso, pituita, πτίσσω, πῖσος* (3), *πίτυρον, piso, pisum* sive *pisa, πτόρθος, πόρθος* (Hes.) nisi quod constat nullum latinum vocabulum literas *pt* habere initiales, sed quare iidem semper dixerint *ultus, fultus, refertus*, non semper *multa, artus*, perinde ignotum. Jam illa quantopere a nostris auribus abhorrent *ξυζεύξειεν* Themist. Or. XXII. 275. D. *ἐπισυξεύξας* Galen T. XVIII. P. I. 741. *ἐξ ἕξ* Plat. Tim. p. 54. Aristot. H. An. III. 7. 2. *ἐξοξύνεται* Theophr. Caus. Pl. VI. 7. 6. *ἐξάξεσθε* Plutarch. de Fac.

---

2) Qui sequuntur versus *Καὶ μὴν πελάζει καὶ καταψύχει πνοὴ Ἄρκιος*, exitu carent, sed addit Eustathius p. 1106. 17. *ἄρκιος ὥς ναύτῃσιν ἀσκεύοις, μολών.*

3) Eustath. p. 802, 3. *ἴσως ἀπὸ τοῦ πτίσσειν γίνεται καὶ πίσον τὸ ὄσπριον, ὃ καὶ πίσσος λέγεται.*

Lun. c. VI. p. 35. T. XIII. *ἐξῶ 'ξενεγκεῖν* Arist. Nubb. 1392. de quo literae, ut Ciceroni videtur (Orat. c. 45.) vastioris et a Romanis saepe declinatae iteratione nihil nos admonent Grammatici, nisi quod Masorethae Homerici adnotarunt semel poetam eam primi vocabuli extremam, secundi primam fecisse *καθάπαξ ξείνῳ* Od. XXI. 349. v. Eustath. p. 1912. 18. Atque haud scio an *κεκακωκότες* Poll. VIII. 45. *προπεπηλακικότες* Dio Cass. XXXVIII. 34. *προκεκυηκυῖαι* Soran. de Matr. p. 54. ore rotundo dici non possint; mihi quidem cacillare et cicurrire videntur. E contrario quae nobis inculpata sunt *unvergleichlich*, *unausbleiblich*, *dreidraethig*, ea si Graeci audirent, barbarum quiddam sonare dicerent, quippe extra nomina cum *προ* composita ut *προπρηνής*, nullas continuas syllabas ab iisdem duabus consonis inducere soliti; quin etiam Romana nomina *Κλοιλία*, *Πουβλίλιος*, quum pronunciarent, non dubito quin sapore quodam peregrinitatis contacti sint.

§. 2. Secundo loco vocales percurremus quarum ob concursum insuavem, ut Grammatici dictitant, vocabula ipsa saepe immutata sunt, *ψῆρας* pro *ψᾶρας*, quo Aelianus utitur H. An. XVI. 3. *ξηράνη* pro *ξηρήνη*, ac plura hujusmodi. Etym. M. p. 389., 13. *τὰ εἰς ευς ἐθνικὰ, εἰ μὲν ἔχουσι προηγούμενον σύμφωνον, εἰς ις ποιοῦσι τὸ θηλυκὸν, Ἀλεξανδρεύς, Ἀλεξανδρίς, Ἀντιοχεύς, Ἀντιοχίς· εἰ δὲ φωνῆεν, εἰς ας, Ἰλιεύς, Ἰλιάς· οὕτως Ὦρος· ὁ δὲ γραμματικὸς Σωκράτης ἀντιλέγει, ἰδοῦ τὸ Εὐβοεύς προηγούμενον ἔχει καὶ ἔστιν Εὐβοΐς· Ἀλλ' ἔστιν εἰπεῖν ὅτι τὸ Ἰλιεὺς καὶ Πηλιεύς, ἐπειδὴ τὸ ι ἔχει, ἵνα μὴ εὑρεθῇ ἀλλεπάλληλον, ἐγένετο εἰς ας, τὸ δὲ Εὐβοεύς, ἐπειδὴ οὐκ ἔχει τὸ ι, ἐγένετο εἰς ις.* Itaque *Ροιτηΐς* quidem legimus Quint. Cal. V. 654. Antip. Sid. LXV. idemque Stephano s. *Ροίτειον* reddendum videtur pro *Ροιτίς*, sed *Ροιτειάς* Tryphiod. 216. *Βορηΐς* Nonn. XXXIII. 211. a nominativo *Βορεύς* ut *Θησηΐς*, *Οἰνηίς* etc. sed

Βορειάς Dionys. Per. 297. Joann. Ecphr. 196. Nonn. XL. 282. XLIII. 235. postremo *Βοιβηίς* sed *Βοιβιάς* v. Tzschuck ad Strab. IX. 664. quae fortuitum esse quod cum regula congruant, qui sibi persuadeat? Verum tamen Stephanus *Επειάς* et *Επειίς* pariter probat; *Εὐβοιίς* apud poetas legitur saepius et Apollonio *Κυταιίς* nuper ex plerisque libris redditum est v. Well. ad II. 399. Hermanno magis ad *Κυτηίς* propendente Orph. Arg. 824. et 1009. quanquam idem *Κυταιιάς* Euphorioni tribuit, quod si ad nostrum sensum referimus, magis blanditur *Κυτηιάς*. Sed veteres ipsos alio tempore aliud probasse, nisi res ipsa nos admoneret tamen vaga atqne inconstans multorum vocabulorum scriptura perspicuum redderet. Eustathius p. 936, 45. *οἱ παλαιοὶ*, inquit, *ῥήτορες Αχαιικόν φασι δεῖν γράφειν ὡς καὶ γυναιικόν καὶ διχαιικόν*, in quo quanta varietas sit, olim exposui ad Phryn. p. 39. Sed *λυροποιική, αὐλοποιική, λογοποιική*, quae confertim leguntur ap. Plat. Euthyd. p. 289. C. aliaque similiter contexta reprehensione carent dupliciterque errat Elmslejus ad Heracl. v. 84. et quod feminina in *ῑς* desinentia brevem vocalem ante terminationem adsciscere negat, oblitus notissimî nominis *Δαναΐς*, et quod Atticos diphthongum, cujus subjunctiva vocalis sit *ῑ*, alteri *ῑ* nunquam praemittere edicit eamque ob causam pro *Εὐβοΐς* inauditum *Εὐβωίς* introducit. Sed *Αἴαις, δείευς, σπείευς*, veteres affirmant repudiata esse *διὰ τὴν κακοφωνίαν τῆς ἐπαλληλίας τοῦ ῑ*, quorum primum easdem literas habet, quas homericum *Αιαίη* idque ipsum Demetrius de Eloc. c. 69. tantum abest ut vituperet, ut hanc *σύγκρουσιν φωνηέντων* adeo *μουσικωτέραν* judicet; omninoque in nominibus vulgo receptis crebro hae diphthongi colliduntur, *μαιεία, Βεροιαῖος, Μαλειαῖος, μναιαῖος*, quorum numerus pluralis iota ter iterat. Neque nomina qualia sunt *δείευς* et *σπείευς*, aliena fuisse a Graecorum consuetudine documento sunt localia a primitivis in *εια* et *ειον* desinentibus derivata: *Ροιτειεύς, Ερικειεύς, Σεῤῥιειεύς*, quanquam

his quoque, si commode fieri potuit, brevior forma reddita est primitivi similis Etym. M. p. 426, 38. *τὰ εἰς ευς λήγοντα οὐ θέλουσι διφθόγγῳ παραλήγεσθαι ὡς ἐπιτοπλεῖστον, χωρὶς εἰ μὴ ἀπὸ πρωτοτύπου σχῶσι τὴν ει· Πρόσκειται ὡς ἐπιτοπλεῖστον, διὰ τὸ Νειλεύς, οὐκ ἐπὶ τοῦ πατρὸς τοῦ Νέστορος* (4) *μὴ ἀπὸ πρωτοτύπου, διὰ τὸ Ροιτειεύς, Σιγειεύς*, cui simillimum *Αινειεύς* Stephanus s. *Αἴνεια* non dubitat *παράσημον* dicere *ὅτι μὴ ἐνδεῖ μιᾷ συλλαβῇ τοῦ πρωτοτύπου ὡς εἴπομεν ἐν τῇ Αἰλίᾳ*, quo loco, si urbs *Αἴλεια* vocetur, incolam *Αἰλεύς* dicendum esse statuit, ut *Αντιοχεύς, Αλεξανδρεύς, Σελευκεύς*, ibidemque cur *Σιγειεύς* totidem habeat quot *Σίγειον* syllabas, sub hac ipsa voce se explicaturum spondet. Quam partem egregii operis nisi librarii resecuissent, rationes ejus clarius perspiceremus; Ipse quidem *Πλωθεύς* et *Πλωθειεύς* in ordinem refert, quorum exempla collegit Schoemann ad Isaeum p. 302. solum autem *Δεκελειεύς* non *Δεκελεύς* (ut *Μαντινεύς*) quod multo frequentius et prorsus ad praescriptum a primitivo *Δέκελος* (Herodo. IX. 13.) derivatum est. Quum igitur appareat et manifestum sit quanta sit artem inter et usum dissensio, quaerat fortasse quispiam, veteresne ipsi aliquando aliquid negligentius pronunciaverint an hi umbratici doctores regulas quasdam commenti sint falsas frivolasque? Equidem utrumque fieri potuisse arbitror ut et illis dulcoriloquis exciderit aliquid immodulatum, et ut, qui veteris eloquentiae monimenta ad artis normam regulamque examinarunt, morosiores fuerint quam necesse erat. Vere, opinor, Gellius XIII. 20. Homerum judicat quum *ψῆρας* diceret et quum *ψαρῶν*, sequutum esse non communem sed propriam in quocunque vocis situ jucunditatem et in universum aliud alio

---

4) Hoc quid sit intelligitur ex Eustathii verbis p. 1681. 58. — *δηλοῖ δ γράψας Τεχνικός τὸ Νειλεύς ἐν διφθόγγῳ οὐχ ὁ πατὴρ τοῦ Νέστορος ἀλλ' ὁ Αττικός, οὗ γενικὴ Νείλεω.*

in loco potius rectiusque esse, sed quod addit *si alterum in alterius loco ponas, utrumque feceris sonitu insuave,* vehementer dubito, num illi acres sonorum animadversores, si apud Homerum *ψηρῶν* et *ψᾶρας* legissent, vel hoc vel illud reprehensione dignum judicassent, quum praesertim *θηρῶν*, *πηρῶν* et similia in ore et auribus omnium versarentur et ipsi sturnos *ψᾶρας*, Cares *Κᾶρας* dicere si vel maxime aversarentur, subterfugere non possent. Ac ne veteribus quidem natura concessit ut omnia, quemadmodum cuperent, proloquerentur, sed quum *δῖος* dicerent ubi liceret, *δίιος* dixerunt ubi necesse erat.
